OFFICIUM
S. FRANCISCI SOLANI
ORDINIS MINORUM REGULARIS OBSERVANTIÆ.

DIE XXIV. JULII.

In festo sancti Francisci Solani Ordinis Minorum Regularis Observantiæ.

Oratio.

DEus, qui plùrimas Amèricæ Gentes per beâtum Francìscum ad sinum Ecclèsiæ perduxìsti, ejus mèritis, & prècibus indignatiônem tuam à peccàtis nostris avèrte, & in Gentes, quæ te non cognovèrunt, timôrem nòminis tui benìgnus immìtte. Per Dòminum.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

FRancìscus Solânus Montìliæ, Hispàniæ Bæticæ, òppido, nòbili gènere natus, ac Dòmini timôrem jam indè à pùero edòctus, Apostòlico muneri, quod erat pòsteà susceptûrus, in ea ætâte prælûsit. Nam condiscìpulos, & natu majòres ardènti oratiône ad pœnitèntiam hortàri

tàri

tàri ; dissidèntes compònere, res humànas contèmnere, Divìnas sèriò meditàri sòlitus erat. Adolèscens in Ordinem Fratrum Minôrum Observàntium nomen dedit, in eôque asperiôris disciplìnæ, humilitàtis, ac pietátis exēplis òculos òmnium ad se tràhere cœpit. Lèctulus illi juncôrum strues, pro indùsio cilìciū; quod grandi fune ita stringêbat, ut làtera acèrrimè discruciâret. Noctu se flagris, & catènis cædêbat, dies anni complùres pane tãtùm, & aqua victitâvit; seque aliquàndo in spinârũ acèrvos nudum projêcit, beâtum Francìscum imitâtus, ut sensus omnis patiêntia dolòris frangerêtur. In sacris autem conciònibus ipsius chàritas màximè enìtuit, qua plùrimos Christo lucrifêcit.

℟. Honèstum fecit illum Dòminus, & custodîvit eum ab inimìcis, & à seductòribus tutâvit illũ: * Et dedùxit Dòminus per vias rectas, & ostèndit illi regnum Dei. Et dedit.

Lectio v.

PEstilèntia per Bæticam sæviēte, ad còrpora simul animàsque curàndas se totum cōvèrtit; & ipse lue mortàli tandem implìcitus, ac Dei manu è perìculo erèptus, in prìstino ministèrio con-

constàntiùs præstitit, dū morbus omninò extinguerêtur. Pùerum quoque fœdis ulcèribus laborántem, ea lambèndo sanitàti restituit. Exindè magnū esse cœpit in Bætica Solàni nomen. Sed ille hòminum laudes aversâtus, Deìque glòriam, non suam unicè quærens, Superiòres orâvit, ut se in Africam mitterent ad Cathòlicam Fidem prædicàndā, pro qua ètiam, si se daret occàsio, vitam profùndere peroptâbat. Misiône Africàna non impetràta, Americânam obtìnuit; magnìsque perìculis, non sine miràculo, marì, terrâque perfùnctus ad sibi parâtam à Dòmino vìneam lætus accèsit; à qua colènda nulla eum itìnerum longitûdo, aut vigiliârum molèstia retardâvit.

℟. Amâvit eū Dòminus, & ornâvit eum, stolam glòriæ induit eum, * Et ad portas paradìsi coronâvit eū. ℣. Induit eum Dòminus lorîcam fidei, & ornâvit eum. Et ad portas.

Lectio vi.

PEruànas regiònes assiduè pèragrans ingentē nùmerum Infidèliū ad Christum convèrtit, Christiànos à vitæ impuritâte ad honestâtem passim tradùxit. Sæpè in conciône, cùm copiôsè de Deo, ejùsque Vìrgine Matre locûtus esset, in èxtasim rapie-

bâtur, aliquàndo de Dòmini cruciàtibus verba factûrus, voce làcrymis interclùsa, audièntium fletus, ac gèmitus eliciê-bat. Summis tandem labòribus pro Dei Glòria amplificànda confèctus, mortèmque præsèntiens imminèntem, Sacramèntis percèptis ad iter cœlèste se comparâvit; ac totus in Dòmino cogitatiône defixus, piàsque preces ad eum fundens, & in Crucis figûram compòsitis mànibus, expirâvit ætâtis anno secùndo & sexagèsimo, Christi millèsimo sexcētèsimo dècimo, festo ipso die sancti Doctôris Bonaventùræ, quē exìmia pietâte in omni vita fùerat prosecūtus. Demòrtui color, àntea sùbniger, est in album mutâtus, vultùsq; spècies venùsta confestim appàruit, & suâvis odor è còrpore cœpit erùmpere.

℟. Iste homo perfecit òmnia, quæ locûtus est ei Deus, & dixit ad eum, ingrèdere in rèquiem meam: * Quia te vidi justum coram me ex òmnibus Gèntibus. ℣. Iste est qui contèmpsit vitam mundi, & pervênit ad cœlèstia regna. Quia te vidi. Glòria Patri. Quia te vidi.

DIE XXXI. JULII:

Octava sancti Francisci Solani.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

GEntium lingua divinitùs percèpta Francìscus cū sermònes habêret suavìssimos, hoc Deo favènte est cōsecûtus, ut Bàrbari, pòsita feritáte, ad eum ultrò erudièndi, ac certâtim accùrrerent; quos multitùdine innumeràbiles fonte sacro regenerâvit; à quibus ètiam rogàndo, vel monèndo impetrâbat, quæ àliàs timor pœnârū nullo modo extorquêre potuìsset. Quantum ejus præsèntia, & loquēdi vis apud omnes valêret, tunc màximè pàtuit, cùm in urbe Rióxa Thecumànæ provìnciæ multa mìllia Infidelium, Christiànos in cives Passiônis Domìnicæ recolèndis mystèriis òperā dantes armàta manu irruèntium, verbo Dei exarmâvit, feròsque hòmines divèrsæ linguæ, nec sibi notæ, una lingua allocûtus non solùm compòsuit, sed novem plus mìllia ad Christum convèrtit.

℟. Honèstum fecit.

Lectio v.

IN tanta luce factòrum admirabìlium, cùm màximus àliis, sibi mìnimus òmnium viderêtur, ipse ad latìbula confugièbat; nec nisi retràctus præfectòrū impèrio prodîbat in pùblicum ad ministèria obeūda: in quibus illud fuit illùstre, quòd Limam missus Amèricæ

ricæ prìncipem civitâtem, ut ìncolas ad pœnitèntiam tradùceret velut alter Jonas, extrêma supplìcia, urbìsque cladem interminâtus, nisi sua ipsi crimina detestàti pœnas ultrò suscìperent, morèsque emendàrent, co hortàndo, increpandôque pervícit, ut omnes vitæ anteàctæ pœnitêret, & salutàri confessiòne, ac pietatis opèribus peccâta sua expiàrent. Servi sui sanctitàtem multitùdine, & excellētia miraculôrum Dòminus cōfirmâvit. Aliquot mòrtui Solàni prècibus revixèrunt: è terra àrida fontes excitàti, qui sunt ad huc perènnes, & salutàres: trajècta flùmina pàllio super undas instràto, nec ejus pèdibus madefactis: belluârum feròcia ita comprèssa, ut ipsi ètiam obtemperàrent: locùstæ sègetem trìtici populàntes in montes ire coàctæ ab eo indicàtos: torpèntibus mēbris, & arefàctis repèntè sensus, ac motus restitû'us.

℟. Amâvit eum.

Lectio vi.

Quibus omnium præcònio celebràtis, ac ritè cògnitis Clemens Dècimus eum beàtis adscrìpsit, ejùsque Officium, & Missam in Thecumàna provìncia, ubi Fidei Cathòlicæ nova sèmina jècerat, Montìliæ, ubi natus, Limæ, ubi defūnctus, & in

Fra-

Fratrum Minòrum Obſervàntium Ordine univèrſo celebràri permîſit. Novis pòsteà miràculis glòriam Solàni Dòminus propag vit. Mulierem inſanàbili cancro laboràntem ſanitâte donâvit. Peſtìferam luem magna civium ſtrage Montìliæ ſævièntem repèntè extìnxit. Vìrginem tèmpore peſtilèntiæ omnìnò depoſitam à præsènti perìculo liberâvit. Quibus ètiam probàtis, à Benedicto Decimotèrtio Sanctòrum in album rel tus eſt anno Chriſti millèſimo ſeptingentèſimo vigeſimo ſexto.

℟. Iſte homo perfecit.

Ordinis Minorum ſancti Franciſci de Obſervantia.

SAnctiſsimus Dominus noſter BENEDICTUS XIV. ad humillimas preces P. Procuratoris Generalis Ordinis Minorum ſancti Franciſci de Obſervantia, ſupraſcriptas Lectiones proprias ſecundi Nocturni, cum Oratione S. FRANCISCI SOLANI Confeſſoris ejuſdem Ordinis, tam pro die Feſto, quàm pro die ejus Octava accuratè reviſas, & examinatas, audito priùs R. P. D. Ludovico de Valentibus Fidei Promotore, benignè approbavit; ac inſuper conceſsit, ut ſingulis annis die Feſto, & reſpectivè Octava prædicti Sancti ab omnibus Religioſis utriuſque ſexus, & aliis, quibus ex Indulto Apoſtolico conceſſum eſt ipſius Sancti Officium de Communi, recitari poſsit; & valeant. Die 26. Junii 1751.

D. F. Cardinalis Tamburinus Præfectus.

Loco ✠ Sigilli.

A. M. Erba Protonotarius Apòſtolicus Pro-Secretarius.